



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem  
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;  
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd  
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctiss. Primæ Partis Opera Historica,  
Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

Restitvtio Dvcatvs Bavarizæ Ad Legitimos Hæredes.

**urn:nbn:de:0128-1-17297**

for Sicilia, a diuante se Papa, maximum contra regem Conradum exercitum ex Italia, Gallia, & Sicilia comparauit. Rex itaque Conradus cum duce Sueuorum Frederico iunior in Italiam, contra Papam & Rogerium, duces Bauariæ Welfsonem cum magno Bauarorum & aliorum exercitu contrarium offendit. Henricus autem dux, frater Welfsonis, præ senio domi remanserat. Factum est itaque inter eos grauissimum bellum in diocesi Augustensi, iuxta quoddam ordinis sancti Benedicti monasterium, quod Neresheim dicitur. Ibi Fredericus dux Sueuorum ex parte regis victoriam obtinuit, & multi ex parte Welfsonis caesi corruerunt, & ipse cum paucis vix euasit.

Iterum dux Welffo congregato magno exercitu, contra Fredericum ducem bellum habuit, prope Winsperg, circa villam Ellenhoffen Herbipolensis diocesis, in quo & ipse cecidit, & maior pars exercitus sui prostrata fuit.

Henricus ergo dux Bauariæ cognomento Superbus, principum iudicio excommunicatus, & à ducatu Bauariæ per Conradum regem depositus, pauper & pedestes de Bauaria cum vxore, & liberis venit in Saxoniam, & ibi mansit vsque ad mortem. Ducatum eius Lupoldus Marchio Austriae à Conrado rege accepit.

LUPOLDVS Marchio dux Bauariæ, iste Lupoldus Marchio Austriae, ducatum Noricum post Henricum ducem depositum à rege Conrado suscepit. Hic fuit filius Lupoldi senioris Marchionis, ex Agnete filia Henrici Imperatoris quarti, quæ ante Lupoldum habuerat Fredericum ducem Sueuorum, Mortuo non longe post isto Lupoldo duce, rex ducatum Henrico fratri eius contulit.

HENRICVS Marchio dux Bauariæ, frater Lupoldi fuit: Huic post mortem fratris, Conradus rex relictam viduam Henrici ducis Bauariæ, quem deposuerat, filiam Lotharij Imperatoris Gertrudem dedit vxorem, & constituit eum Bauariæ ducem.

Ottho Episcopus Bambergensis, filius comitis Bertholdi, audax vir, sanctissimeque conuersationis his temporibus clarus habebatur.

RESTITVTIO DVCATVS BAVARIÆ AD

LEGITIMOS HÆREDES.

CONRADO rege Romanorum mortuo, Fredericus huius nominis primus, filius Conradi ducis successit. Hic anno Domini M. C. LVI. circa festum natiuitatis beatæ Mariæ semper virginis, Henrico duci Saxonie filio Henrici superioris Superbi, quondam ducis Bauariæ, ducatum rogantibus principibus restituit, amoto Henrico fratre Lupoldi Marchionis Austriae: Facta sunt hæc Ratisponæ, anno vt supra.

Eodem tempore Fredericus Imperator, Marchiam Austriae in ducatum sublimauit, primum ducem in Austria constituit Henricum supradictum, fratrem Lupoldi, quem à ducatu Bauariæ amouerat, absoluens eum ab omni Iurisdictione ducis Bauariæ, dansque nonnullos comitatus Austriae Henrico duci Bauariæ in recompensam, & exemptionem. Nam antehac Marchiones Austriae, quotiescunque per duces Bauariæ ad curiam eorum fuissent vocari, tanquam subiecti illis solebant occurrere; quemadmodum comites, & alij nobiles adhuc tenentur obedire. Idem Imperator Fridericus primus, ducatum Bohemiæ crexit in regnum.

Henricus dux Bauariæ & Saxonie, filius Henrici Superbi, in paternam hæreditatem vtriusque ducatus restitutus, summa sollicitudine curabat, populum sibi subiectum iuste & secundum leges in omni pace, & tranquillitate regere & gubernare. Quicumque leges ab eo æditas violasset, capite plectebatur. Vnde pace per totam Bauariam cum iustitia cunctis facta, dux Henricus in ore omnium laudem & honorem super omnes principes illius temporis habebat.

TRANSLATIO DVCATVS BAVARIÆ AD

COMITES DE SCHEYEREN.

CVM Imperator Fredericus expeditionem parasset in Italiam, Henricum Bauariæ & Saxonie ducem iam dictum in auxilium vocauit. Itaque Henricus cum magno exercitu Italiam Imperatori laturus auxilium ingressus, ipsum Fredericum obuium habuit, dicentem, sibi tantam armorum multitudinem non esse necessariam, rogabatque ducem, vt cum suis remearet in patriam.

Vnus autem officialium ducis inde commotus dixit ad eum: *Illustrissime Princeps, coronam possidisti ad pedes, ne caput vestrum possit ascendere.* Quod verbum in tantum displicuit Imperatori, vt ducem omnibus diebus vitæ suæ haberet exosum, atque à ducatu

K

Erithemij

Opera  
historica